

nomine, aerario Nostro dependendi alioquin essent, tenendos in Securitatis pignus ita transcribimus et in Sacro verbo Nostro Regio obligamus, ut si quando nec Summae mutuo datae Pecuniae, nec Stati census a Nobis persolverentur, utut eum in finem et numerata publica Regni Contributione tum census, cum et ubi Sortis modo praevio remuneratio inchoabitur, hujus constitutum quotannis peculiariter excindetur, et ad dispositionem memorati Comitis Regni Palatini vi-gore assignationum nunc pro tunc expeditarum per Regium Nostrum Locumte-nentiale Consilium immediate incassabitur in exolutionem illorum, qui in hane decem Millionum Summam mutui quid contulerint, Titulo interusurij, et suc-cessive etiam in praestatutis Terminis ipsius Sortis convertendum Regno Universo Liberrimum sit, memoratam Contributionem tamdiu tenere, donec Summae Capi-tales cum suis Usuris renumeratae non fuerint; insuper vero salis quoque, et Tricesimae, ac Bonorum Cameralium Proventus, Regum proprios, pro speciali Hypotheca constituimus; porro in uberiorem Creditorum Securitatem declaramus, pecunias has mutuo datas Privilegio illo gaudere, quo Singraphae Bancales gau-dent, neque ullo unquam onere premenda sint. In quorum omnium robur et firmitatem majorem Litteras Nostras memorato Comiti Palatino ac per eum Uni-versis Regni Nostri Hungariae Statibus et Ordinibus extradandas esse duximus, remunerata ex integro Sorte, Nobis iterum restituendas. Datum &c.

Obligatoriarum tenor :

Nos Comes Ludovicus de Bathyan, Perpetuus in Nemeth-Ujvar, Regni Hungariae Palatinus et Locumtenens Regius, Aurei Velleris Eques, Sacratissima-rum Caesareo-Regiarum Majestatum Actualis Intimus Consiliarius, Tabulae Sep-temviralis et Consiliij Locumtenentialis Praeses, nec non ejusdem Consiliij Locum-tenentialis Consiliarij damus pro memoria : Quoniam Sua Sacratissima Majestas (titulus) pro Sumptibus ad continuandum adeo cruentum et atrox Bellum, ac tan-dem procurandam honorabilem et constantem pacem inevitabiliter necessariis, velut in alijs haereditariis Provinciis, ita etiam ad haereditarii sui Regni Hungariae fundum decem Millionum Florenorum creditum, tam intra, quam extra Regnum pro-curandum, erga omnimodam plenissimamque Creditorum Securitatem levare con-stituerit; eatenus porro rem cum Statibus et Ordinibus Universorum Regni Hun-gariae et partium ei annexarum Comitatuum, ut nimirum Iidem fidem nomenque suum interponerent, rem agendo et pertractando, ex Universorum Creditorum ad-aequata et plenaria Securitate ipsum fundum Contributionalem Hungariae ex pactis Regni Diaetalibus profluentem, et in quantum hic quacunque demum **ex ra-tione** deficeret, aut debito tempore haud influeret, Camerales quoque Proventus suos, signanter ex Tricesima et amplissimo fundo Salis provenientes in sortem realis Hypothecae pro indubia et plenaria Creditorum Securitate, ac ea cum de-claratione benignissime constituere sit dignata, ut anticipandae Summae Interusu-rium a per Centum de medio in medium Annum exactissime Creditoribus ex fundo Contributionali preeferenter omnino, Capitale autem evolutis a tempore conclusae pacis sex annis, quolibet anno in uno Millione, ex iisdem fundis, vi-gore jam impertitae benignae resolutionis, et nomine regio expeditarum Asse-curatoriarum Litterarum, inque hujus consequentiam nunc pro tunc jam etiam extradatarum Assignationum, ac quibusvis fatalitatum Casibus aut impedimentis